

05 H 623



I

C

D
P

D
P
P

m



DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
INUTILITATE
BROCARDICI VUL-
GARIS:

Quæ sunt in territorio, præsumuntur
etiam esse de territorio,

quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE PRUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.
DVCATVS MAGDEB. GUBERNAT. &c.&c,
Ex Decreto Illustris Fctorum Ordinis



PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO,
POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ, AC REVEREN-
DISS. ET SERENISS. DUCIS SAXO-NUMBURG. CONSILI-
ARIO INTIMO, PROFESS. JURIS ORDIN. ET FACULT. JURID.
h. t. DECAN,

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure honores & privilegia Doctoralia
ritè capeffendi,

IN AUDITORIO MAJORI

ad diem V. Octobr. M DCCIX. horis ante- & pomeridianis
publico Eruditorum examini submittit

PAULUS JOHANNES MARCI,
Augustanus.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

Halle 1709

D I S S E R T A T I O I N A N G U R A L I S
DE
I N U T I L I T A T E
B R O C A R D I C I V U L -
G A R I S :

Quae sunt in territorio presentium
certam esse de territorio.



226#50

D N CHRISTIANO THOMASIO
POTENTISSIMO REGIS BORUSIAE AC REVEREN
DISS ET SERENISSIMO SACCIS SAXO NIMBURG CONSULE
MARIO INTIME FIDELIS ORDINI ET SACRI ILLINO
D E D E C A N O

P R O L I C E N T I A

Summos in utroque iure honores & privilegia Doctorum
in utroque iure
in utroque iure
ad hunc Odoce in D. C. X. hunc ane. & hunc
p. hunc Eximium examini hunc
F A L L I S J O H A N N E S M A R C I

A. G. H. H. H.

TYPIS CHRISTOPHI ANDREAE ZEITZII. ACT. 1774.



DISSERTATIO INAUGURALIS

De

INUTILITATE BROCARDICI
VULGARIS:


Quæ sunt in territorio, præsumuntur
etiam esse de territorio.

SUMMARIÆ.

Inter varias doctrinas erroneas in juris publici prudentiâ, hodiernum regnantes, §. I. Est etiam vulgare brocardicum, quod ea, que sunt in territorio, præsumantur etiam esse de territorio. §. II. Territorii homonymia & variantes definitiones. §. III. Obscuritas distinctionis inter territorium passivè & materialiter ac formaliter simul sumtum, & inter territorium activè & formaliter tantum ita dictum. §. IV. Obscura & inconveniens usurpatio territorii de jurisdictione Academiâ vel simili. §. V. Aliorum convenientior doctrina, territorium esse materiale, & passivum quid, cui insit potestas in territorium activè & formaliter. §. VI. Summatim proponitur, regulam, que sunt in territorio, etiam esse de territorio ad dijudicandum bona mediata ab immediatis ob varias causas esse inceptam. §. VII. Idque sistus probatur. Obscurum est, quid sit in, & de territorio, & ab eruditis contradictoriè expositum. §. VIII. Falsitas regule evidens, & alio modo temperata dubietas. §. IX. Incertissimum est, quid sit esse in territorio. §. X. Et omnino falsitas palpabilis subest, si adjacentia & vicina dixeris esse in territorio. §. XII. Falsitas argumentationis à situ rerum ad imperium. §. XIII. Falsitas argumentationis à situ rerum, ad eorum dominium. §. XIV. Falsitas argumentationis à dominio rerum ad imperium. §. XV. Porro regula, etsi vera esset, non tamen exinde differetia

tia inter bona immediata & mediata cognosci posset. §. XVI. Quia præsumtio illa elideretur fortiore præsumptione, partim pro possessore, §. XVII. partim pro libertate. §. XVIII. Responso Reinkingii ad rationem de præsumptione fortiore pro libertate. §. XIX. Cujus insufficientia ostenditur. Falsum est, jus civile posse mutare naturas rerum. §. XX. Falso asseritur, specialia generalibus opponi. §. XXI. Falso asseritur, præsumptionem communis brocardici esse exceptionem a præsumptione regule pro libertate. §. XXII. Falsum est, præsumptionem brocardici ideo fortiorem esse, quod fundetur in textibus juris civilis aut canonici. §. XXIII. Falsum est, præsumptionem pro libertate rerum non fundari in textibus juris civilis. §. XXIV. Falsum est, brocardicum vulgare probari posse ex textibus utriusque juris. §. XXV. Neque enim probatur ex l. 1. §. 4. de offic. Pref. urbi. §. XXVI. Neque ex l. 239. §. 8. de V. S. §. XXVII. Neque ex l. 28. §. 4. C. de Episc. & Clericis. §. XXVIII. Neque ex Can. 10. C. 16. q. 7. §. XXIX. Unde rursus inferitur, brocardicum vulgare esse nullius valoris §. XXX. Porro, etsi verum foret commune brocardicum, pateretur tamen exceptionem generalem quoad bona Ecclesiastica, §. XXXI. Diserte fundatam in jure Canonico. §. XXXII. Diæcesis Episcoporum intuitu bonorum Ecclesiasticorum etiam vocatur territorium, §. XXXIV. quamvis id fiat per catachresin §. XXXV. Ostenditur, brocardicum vulgare non juvari per distinctionem inter territorium clausum & non clausum. §. XXXVI. Conjectura de origine hujus distinctionis ejusque perversa applicatio. §. XXXVII. Aliorum opiniones & judicia de illa distinctione, nimirum cujusdam Pseudonymi, §. XXXVIII. Wilhelmi Leiseri, §. XXXIX. Christophori Jacobi Pelleri §. XL. Nostra sententia: Falsum esse, quod distinctio inter territoria clausa & non clausa originem debeat nobilitati immediate. §. XLI. Ex dictis tamen illustrari sententiam nostram de nullo usu distinctionis illius ad salvandum brocardicum, de quo agimus. §. XLII. Ipsorum defensorum brocardici consensus de nullo usu hujus distinctionis §. XLIII. Porro ostenditur, brocardicum vulgare nullum præbere usum specialem in controversiis de medietate & immedietate §. XLIV. Civitatum, §. XLV. Nobilium, §. XLVI. Comitum & Principum, §. XLVII. Abbatum, §. XLIX. Episcoporum §. XLIX. Conclusio §. L.

§. I. Fuis.



§. I.



Uit olim, & antequam Hermannus Inter varias
Conringius, ac post eum Samuel doctrinas
Pufendorffius Juris publici prudenterroneas in
tiam purgarent, hujus utilissimæ & juris publi-
summe necessarii studii misera conciditio, ut controversias inter caput
& membra, aut etiam inter membra hodienu
inter se, ex genuinis fontibus do-
regnantes.

Etinæ morum, prudentiæ civilis,
antiquitatum Germanicarum & similibus definiendas, par-
tim ex corpore Juris Justiniani, aut Pontificii, partim ex
Glossatorum utriusque juris brocardicis & communibus
opinionibus, audacia plane indecora & impertinente, di-
rimere intenderent illi, quorum curæ datum erat, jura
Cæsaris aut principum vel statuum defendere. Hodie
vero post Duumvirorum illorum laudatissimorum primos
conatus, etsi Schilteri, Cocceji, Hertii, aliique Viri il-
lustres & celeberrimi, medelam afferre jurisprudentiæ pu-
blicæ continuaverint, non diffidendum tamen est, multa
adhuc restare emendanda, quod, ut in omni errorum re-
formatione fieri solet, pedetentim res procedat, & primi
reformatores, non omnes nexos videre ac ostendere, mul-
to minus iis mederi, ob imbecillitatem humanæ naturæ
queant; & quod pauci vestigia eorum sequantur, sed
plurimi potius errores communes acriter defendere, ac
medicinam horrere soleant. Quare non mirandum, quod
adhuc hodienu, hinc inde ineptæ doctrinæ juventuti
inculcari, & ex istis jura controversa deduci soleant. Nam
errores communiter tardius agnosci solent ab eruditis, o-
mnium vero tardissime à docentibus in Academiis.

§. II.

Inter ejusmodi doctrinas nescio quomodo jam ab Est, etiam
aliquot annis mihi suspectum fuerit visum vulgare bro-
cardicum: *Quæcunque sunt in territorio, præsumi etiam esse de-*
cardicum, territo- quod ca-

quæ sunt in territorio; quo videlicet communis docentium & scriben-
territorio tium schola fere in omnibus controversiis uti solet, quo-
præsuman- ties de medietate vel immedietate status alicujus in im-
tur etiam perio quæstio est, sive is status sit Episcopus, sive Prin-
esse de ter- cept, sive Comes, sive Nobilis, sive Vasallus alterius sive
ritorio; non Vasallus. Repetit id brocardicum post alios infini-
tos Mylerus ab Ehrenbach *a*) & solet huic præsumptioni
communis præsumtionum effectus tribui, quod is qui hoc
brocardicum pro se alleget, non opus habeat ulteriore
probatione, sed quod is, qui in territorio alterius bona
habet, debeat exemptionem suam probare. Quare mate-
riam hanc dignam esse arbitratus sum, ut eam dissertatio-
ne hæc inaugurali paulo accuratius examinarem & tum
ejus obscuritatem, tum falsitatem & ad definiendas quas-
cunque controversias ineptitudinem ostenderem. Faxit
Deus feliciter.

a) de Scatib. Imperii Parte II. cap. 89. n. 2.

§. III.

Territorii Atque hic initio se statim offert obscuritas termini
homony- primarii, de quo agit illud brocardicum. Videlicet ipsa
mia & va- vox territorii valde homonyma est: Modo enim deno-
tantes de- tat terræ portionem ad communiatem pertinentem; uni-
finitiones, versitatem nempe agrorum oppidi, villæ, privati homi-
nis; modo districtum jurisdictionis, modo jurisdic-
tionem ipsam. *b*) Unde variè etiam defini solet territori-
um. Territorium esse universitatem agrorum, dicit Pom-
ponius, *c*) intra fines cujusque civitatis, quod ab eo di-
ctum quidam ajunt, *d*) quod magistratus ejus loci intra
eos fines terrendi i. e. submovendi jus habet. *e*) Alii de-
scribunt, quod sit pars imperii loco distincta, ad hoc ut
peculiari regimine civili Reipublicæ communi subjuncto
administretur. *f*) Alii, quod sit universitas ditionis, quæ
specialem habeat titulum & ad unius justam administra-
tionem respiciat. *g*) Etsi vero significatus isti & definiti-
ones variantes non sint plane oppositæ sed quodammodo
affines,

affines, non tamen sunt univocæ & coincidentēs, adeoque accuratiori dispectione fecernendæ, & antequam id fiat, parum aptæ ut rei obscuræ illustrandæ adhiberi possint.

- b) Schilterus de Condominio circa sacra cap. 3. S. 1. p. 9.
 c) l. 239. §. 8. de V. S.
 d) Egid. Menag. Amanitat. Jur. Civil. c. 39.
 e) Conf. Strauchius Specimin. Insit. Jur. publ. l. 2. tit. 8. §. 1.
 f) Ludolphus Hugo de Statu regionum Germania c. 2. §. 4.
 g) Idem ibid. cap. 6. §. 6.

§. IV.

Quam raro vero Doctores de territoriis commentantur. Obscuritas res debitam adhibere soleant rerum diversarum discretio- distinctio- nem, exempla docent ubivis obvia. Quin & illi, qui nis inter confusionis evitandæ gratia distinctiones adhibent, iis- territorium dem sapius rem obscuram obscuriorem reddunt. Ita Felt- passivæ & mannus, Jctus aliàs & fama & scribendi genere clarissi- materialimus, territorium dicit b) sumi vel passivè & materialiter ter ac for- atque formaliter simul, vel activè & formaliter tantum. maliter si- Quid enim hac distinctione obscurius? Si enim territori- mul sum- um formaliter tantum sumtum coincidit cum territorio a- tum, & in- ctivè dicto, etiam territorium materialiter & formaliter, ter territo- simul sumtum, erit idem cum territorio activè & passivè rium-activè simul dicto, non vero denotabit territorium passivè tale. & formali- Sed & ipsum materialiter & formaliter tanquam termini me- ter tantum taphysici à corporeis substantiis abstracti parum apte ap- ita dictum. plicantur ad res politicas aut juridicas i) & res absque istis terminis magis perspicuas caligini nescio quorum, grillorum involvunt. Neque distinctio hæc obscura fit evidentior per exemplum à Feltmanno subjunctum. Ut exemplo, inquit, k) res fiat clarior, magistratus urbanus habet in urbe & urbis tabula, sic enim fines appellant, territorium materiali- ter & formaliter simul, etiamque passive. Rector autem Aca- demicus, nec non Prætor militaris ratione personarum sue jurisdicli- onis in eadem urbe, cum terrendi gaudeant potestate, non minus et-

iam dicuntur habere territorium, sed formaliter tantum & active. Quid enim hic sibi vult *ro* ETIAM *passive*? Indicio hoc est, sensisse Feltmannum objectionem nostram de inconvenientia applicationis territorii *passive* dicti ad id, quod materialiter & formaliter simul tale est. Et annon convenientius fuisset, si dixisset, territorium Rectoris sumi pro Jurisdictione, territorium magistratus urbici & pro jurisdictione & pro dominio in urbem & agros jurisdictioni subiectos. Quamvis ipse Feltmannus viderit, an & hoc modo conveniens maneat locutio. Etenim falsum est, urbem & aedes in urbe aut agros eo pertinentes esse in dominio magistratus urbani. Et verius est, Rectores Academiarum habere jurisdictionem sine territorio. l)

- b) in *Comment. ad Pandect. ad l. 20. ff. de jdict. n. 1.*
- i) rem latius deduxit Dn. Praeses in *prefatione ad Annotationes suas in Strauchii Jus Justinianicum.*
- k) *d. l. n. 3.*
- l) *Wissenb. ad l. 239. S. 8. de V. S.*
§. V.

Obscura & inconveniens usurpatio territorii de jurisdictione Academica vel simili. Ut taceam aliam inconvenientiam & duritiam loquendi, dum Feltmannus jurisdictionem Academicam & militarem in solas personas absque respectu ad bona appellavit *territorium*. Etsi enim lex allegata disponens, quod extra territorium jus dicenti impune non pareatur, possit applicari etiam ex rationis identitate ad Jurisdictionem Academicam; id tamen fit ex regulis interpretationis extensivae ad casum sub verbis legis non comprehensum. Ut non opus sit confugere ad interpretationem declarativam, quasi Jurisdictio Academica vel similis vocetur etiam territorium, quod praeter Feltmannum forte nemo dixerit.

§. VI.

Aliorum convenien- Vereor igitur, ne confuderit Feltmannus aliorum comparationes territorii cum Imperio & potestate in homines

mines sub illo territorio. Ita enim plerique Scriptores tior doctrinae Juris publici docere solent; territorium esse subiectum, nam, territorium passivum & materiale superioritatis territorialis, cui superioritas, vel imperium vel potestas active & formaliter, materiale, insit. *m)* Quamvis & hæc locutio sit paululum obscura, & passivum non solum ob terminos Metaphysicos hic sine necessitate quid, cui in- adhibitos, sed & ob locutionem tropicam hic latentem, sit potestas Nam imperium non exercetur in agros & solum, sed in homines territorii in solo illo degentes, vel ad quos pertinet Dominium active & formaliter. *n)*

m) Schweder. *Jur. publ. part. special. Sect. 2. c. 10. §. 13.* Schilter. *ter.*

lib. 1. Inst. Jur. Publ. tit. 19. p. 107. & de condom. circa sacra.

c. 3. §. 2. p. 9. & §. 4. p. 12.

n) Adde *Dissert. de Super. territ. inter mantissas ad Specimen quartum medii. ad instrum. pac. §. 6. 13. & 15.*

§. VII.

Quemadmodum vero conceptus territorii in se æquivoce Summatim quivocus, obscurus & parum aptus est ad discernenda bona, proponitur: ita sive ecclesiastica sive secularia mediata ab immediatis, Regulam: ita multo minus essentia bonorum mediatorum ex situ in quæ sunt in territorio dijudicari poterit, cum illa regula, quæ ista territorio, dijudicatio nititur, quod omnia, quæ sunt in territorio, etiam esse sint etiam de territorio, æquè obscuritate laboret, & proinde de territorio ut communiter exponitur, sit valde dubia, aut etiam a-rio: ad di- pte falsa; certe ad controversiam de bonis immediatis, judicanda imprimis de ecclesiasticis, etiam si alias vera esset, vix ac bona medi- ne vix quidem applicabilis. Cæterum, cum hæc asserta ata ab im- de illo canone haud dubie multis apparitura sint durio- mediatis ef- ra, qui istam regulam pro brocardico & panacea, nescio, se ineptam. quanti pretii, in controversiis de medietate & immedie- tate bonorum, imprimis ecclesiasticorum habere solent, necesse jam erit, ut veritatem istorum assertorum paulo fufius demonstremus.

§. VIII.

Initio obscurum est, quid sit esse in territorio & est. Idque fufius se de probatur,

B

Obscurum, se de territorio. Communiter equidem ad hodiernum quid sit in usque diem creditum est, in territorio esse, significare, & de territorio bonorum intra bona ac prædia alterius, de territorio, & ab rioro vero esse, significare subjectionem alterius, cujus territorium illud est, potestati & imperio. Sed uti nihil in eontradi- hoc mundo est firmum & stabile, & novæ sententiæ se- storie ex- iis quoque, qui alias strenui antiquitatis, etiam non a- positum. deo optimæ ac verosimilis, defensores esse solent, subinde insinuant; ita reperti sunt nuper quidam, qui significationem terminorum prope inverterunt, nescio, quibus Carpzovii locis moti, ut statuunt, de territorio esse, significare, esse Territorium immediatum, in Territorio vero esse, notare subjectionem territorialis potestatis. Etsi vero certus sim, Carpzovio hanc interpretationem, inusitatam plane & incognitam, nunquam venisse in mentem nec ullo vel minimo saltem argumento ea assertio probata fuerit; non tamen hujus loci est, de Carpzovii mente differere cum aliâs facile ostendi posset, Carpzovium non una vice in scriptis suis sibi met ipsi contradixisse, aut sententiam suam mutasse, quod salvâ viri, alias de jurisprudentia immortaliter meriti, existimatione dictum sit. Sufficit, quod ex hoc exemplo appareat, doctores, qui illo brocardico, quod, quæ sunt in territorio, sint etiam de territorio, tanquam præcipuo fulcro suarum imbecillium disputationum utuntur, in promptu habere, si à dissentientibus urgeantur, varias formas, quibus terminos istos, instar Protei, pro lubitu mutare possint. Imo nec desunt, qui, dum ab aliis oppositum plane brocardico isti canonem audiunt; aliud esse in territorio, aliud de territorio, nec ab uno ad alterum inferri posse; significationem 7^æ in territorio esse, iterum in aliam formam mutant, statuentes, eos, qui alterius territorio undecunque circumdati sint (enclavés) eo ipso, quod non sint de territorio, etiam proprie non esse in territorio alterius, sed consuetudine proprium territorium. o) Sed
hivi-

* (1) *

hi videlicet non sentinnt, hac expositione adhibita, falsam quidem & inexpugnabilem reddi regulam; quod ita est in territorio, etiam necessario est de territorio, verum eandem simul reddi tautologicam & ineptiorem, quam si ei relinquatur sensus, qui communiter eidem imponitur. Nam secundum hanc novam expositionem, ubi in territorio esse, & de territorio sumitur synonymice, sensus regulæ iste evadet: Quicquid est de territorio, est etiam de territorio. Quis non harum inventionum misereatur?

o) Vid. Dn. Horn. *Jur. Publ. Prud. o. 62. §. 2. p. 697. Conf. Fritschii Exercitationum variarum Jur. Publ. part. 2. Exerc. 3. 22. in fine.*

§. IX.

Porro quod communem intellectum brocardici illius, quod ea quæ sunt in territorio, etiam sint de territorio, attinet, haud dubie falsum est illud axioma, cum infinitæ ejus possint dari instantiæ, & adeo absque dubio verior est, imò verissima altera regula opposita modo allata; aliud esse in territorio, aliud de territorio, & ab illo ad hoc non posse concludi. p) Sentientes hanc falsitatis evidentiam amassii illius regulæ, eam temperare studuerunt, fatentes regulam non esse universalem, sed dari posse hinc inde instantias; sufficere tamen ad finem obtinendum, quem ipsi intendunt, si valeat ut plurimum, & videlicet in tantum, ut aliæ regulæ juris, quæ, si non operentur probationem plenam, pariant tamen præsumptionem pro allegante, ita ut contradicens probare debeat exceptionem. Ita videas passim, etiam ubi adhuc hodie controversiæ sunt de bonis mediatis vel immediatis, eos, qui magnis stipendiis aluntur ad defendenda Principum suorum jura, care nimis vendere hoc brocardicum, dum asserunt tanquam rem indubitam; situm in territorio facere tamdiu præsumptionem, quod bona sita in territorio sint etiam de territorio, donec pars adversa probet

Falsitas Regulæ evidens, & alio modo temperatæ dubietas.

B 2

contra-

contrarium. Verum et hoc modo, ut initio mollissime sententiam dicam, res non adeo certa est, sed valde dubia. Nam qui ante Reinkingii tempora illud brocardicum usurparunt, eos magno labore collegit ipse Reinkingius. q) Post hunc, qui eandem cantinelam cantant, fere Reinkingii vitulo arant, etiam ubi eum non citant. Sed ante Reinkingium non dubitavit illius brocardici veritatem in dubium vocare Zacharias Viotor. r) Et post imaginariam Viotoris refutationem a Reinkingio s) tentatam, tanti hæc refutatio visa haud fuit Klockio, quin sententiam Viotoris veriore arbitratu fuerit, t) quem sequuntur Feltmannus u) & forte alii plures.

p) Viotor, Antonius Faber, Surdus, Thomas Michael, Andreas Knichen, citati Cortrejo *ad Pacem Ryswyensem* p. 123. n. 9.

q) *de Regim. Seculari & Ecclesiastico lib. I. class. 5. c. 1. n. 24. seq.*

r) *de exemt. conclus. 27.*

s) *d. l. n. 51. sequ.*

t) *Vol. Conf. 10. n. 58. sequ.*

u) *ad l. 1. §. 4. de Offic. pref. Urbi n. 3.*

§. X.

Incertissimum est, quid sit esse in territorio. Sed nolumus autoritatibus pugnare, videamus potius rationes. Initio quidem vellem scire, quid sit in territorio. Nam territorium quodcumque fines suos certos & indubitatos haudquaquam à natura habet, sed ab arbitrio hominum, variante valde & nullis adeo regulis definiendo. Unde assertio, rem, de qua litigatur, esse in territorio alterius sitam, per se nihil probat, nisi aliis fortioribus & à situ valde alienis probationibus fulciatur. Territorii privati quantitas etiam in re minima consistere potest, publici vero amplitudo nusquam per regulas aut leges certas est definita. w) Et ipsi, qui hoc brocardico uniantur, nesciunt, quid velint, ita ut certi quid & solidi responsi, etiam fidiculis adhibitis ex ipsorum ore & calamo non possis extorquere. Hinc modo dicunt, esse in terri-

territorio idem esse, ac esse intra fines territorii; modo docent, esse in territorio idem esse, ac esse circumdatum ab alterius territorio, & ut pondus rei levisimæ addatur ex peregrinâ linguâ, mysterii loco addunt Gallicam vocem *enclavé*. Modo dicunt in territorio etiam esse loca finitima, vicina, adjacentiaque in medio duorum locorum posita. x)

w) Schilter *de condom. circa sacra c. 3. §. 3. p. 11.*

x) Reinking *d. l. n. 25. 32. sequ.*

§. XI.

Sed quocunque te vertas, nihil deprehendes nisi pergulas pictorum, veri nihil, omnia falsa. Nam prima explicatio petit principium. Afferis: bona hæc sita sunt in territorio meo. Nego. Probas, quia sunt intra fines territorii mei. Nego consequentiam, si per te intra fines esse, intelligis finibus meis circumscribi. Nego assertum, si intra fines esse, idem est ac inter partes esse. Ergo hoc intuitu ego contra assero, rem litigiosam esse extra fines tuos. Tertius extra partes positus neutri credit, quia fines territorium infinitis modis variant. At inquis, territorium indubie meum circumscribit & circumdat id, quod tuum esse asseris in medio mei territorii positum. Sit ita, quid inde. Dico contra: medium hoc territorium ideo est extra fines tui territorii, quia tui territorii pars non est. Orbis rotundus est, & quicunque partem continentis tenet, à maris littoribus remotas, circumdatur ab alienis territoriis, & tamen horum pars non est. Finge agrum Titii A. circumdari ab agris B. C. D. E. F. Sempronii, Mevii, Nonii, Decii, Caji. Sempronius, cujus est ager B, comparat agros reliquos quatuor vicinorum agrum Titii circumdantes, aut, si id melius tibi placeat, enclavantes. Quis diceret propterea, agrum Titii situm esse in territorio Sempronii, & inde præsumtionem esse pro dominio Sempronii & ejus heredum in illum agrum, etiam si hi per centum annos agros B. C. D. E. F.

continua possessione retinuerint. Quod si urgeas, exemplum non desumendum esse ab agris, sed a prædiis urbanis, & saltem id in territorio domini urbis situm esse, quod intra eadem mœnia continetur, ne sic quidem quicquam obtinebis. Nam & ipsimet, qui alias multum huic regulæ tribuunt, nobiscum consentiunt, & rem eleganti exemplo urbis Ratisbonensis illustrent. Quia sapius status alicujus Imperii territorium undique circumdatum est (enclavé) alterius territorio, quale quid contingit Ratisbonæ, qua in medio agro Bavariæ sita, atque intra sua pomæria quinque Status Imperii continet, hinc Dd. dicunt, aliud esse in territorio (scilicet ratione situs meri & circumscriptionis) aliud de territorio (ratione imperii & superioritatis.) Quæ innuere volunt, non esse quem subjectum territoriali potestati, licet bona, qua possidet, in alicujus Status territorio sint sita. Sed si recte rem estimare velimus, ejusmodi status nec etiam est in territorio alterius, sive in provincia, vel portione illa, qua est alterius status, (per modum partis) sed ille ipse locus, quem possidet, per se est territorium, etsi ab alio territorio undiquaque circumdatum. y) Vides hic nobiscum asseri, status quinque, etsi intra pomæria Ratisbonæ sita, tamen non esse in ejus territorio, nec Ratisbonam esse in territorio Bavariæ, etsi in medio agro Bavariæ sita sit.

y) Dn. Horn. *Jurispubl. prudent. c. 62. §. 2. p. 698. Confer supra §. 84.*

§. XII.

Et omnino Id vero palpabiliter falsum est, quando asseritur, bona vicina, adjacentia & finitima, id est fines attingentia, falsitas palpabilis subesse in territorio, seu partes territorii, cum vel ex solis est, si adjacentia & aperta) contradicção oculos mentis Jctorum debuisse, vicina dixeris esse in territorio. ferire, nisi præjudicium autoritatis spissam nebulam illis obduxisset. Nam vel ideo illa bona, quia vicina sunt, quia adjacentia, quia fines attingentia sunt, non sunt in territorio sita, tantum abest, ut sint partes territorii. Unde etiam si Zafius, Meichnerus, Menochius, Wesenbecius, Gaili-

Gailius, Zieglerus, Sixtinus, Gravetta, & sexcenti alii vel millies dicant, locum vicinum censerij ejusdem juris, quo reliqua jura vicina, item jus superioritatis ad eum pertinere censerij, cujus territorij limites attingant; item castrum, quod est inter duas civitates, in dubio praesumi pertinere ad jurisdictionem illius, cui est propinquius, item, medium inter duo extrema positum, regulariter vergere ad proximum &c. 2) neminem tamen, qui non praesudicio auctoritatis excoecatus est, persuadebunt, cum haec omnia asserta non solum nitantur falso brocardico, quod ea, quae sint in territorio, praesumantur esse de Territorio, sed etiam insuper fallissime vel subsumant, talia bona vicina esse in territorio, vel falsum brocardicum falsius extendant ad casus plane diversos.

2) Reinking. d. l. n. 33. 34. 35.

§. XIII.

Sed posito etiam, de phrasi, quid sit esse in territorio, litigium omnino nullum subesse, verum communi consensu per eam intelligi situm in territorio vel prope territorium, nunc tamen ex dictis aut vel ex solis terminis iterum constabit, regulam illam nullius plane momenti esse. Nam hoc modo ex communi explicatione debet esse sensus canonis, quicquid in bonis meis aut prope ea jacet, in id habeo imperium summum, aut summo proximum, aut etiam jurisdictionem. Cedo cur? & quare hoc assertum tibi crederem, cum nulla sit inter subiectum & praedicatum connexio. Habitat v. gr. paterfamilias in aedibus meis, aut vicinus meus est; ergo habeo jurisdictionem & imperium in eum, aut ejus familiam, vel saltem habere praesumor? Quis unquam hanc consequentiam vel in somno sibi imaginatus esset? Situs honorum res facti est, imperium juris. Bona, res sunt dominio passive capaces, sed imperium & jurisdictio, jura sunt, quae tendunt in personas & earum actiones.

§. XIV.

Falsitas ar-
gumentati-
onis à situ
rerum, ad
earum do-
minium.

Imo hæc tenus dicta ostendunt, quod à situ bono-
rum ne quidem ad eorum dominium argumentatio pro-
cedat. Nam & dominium vocabulum juris est, situs re-
rum, ut diximus, ad ea, quæ meri facti sunt, pertinet.
Ergo falsissima esset regula: quicquid est in territorio
meo situm, id est etiam de territorio meo, si esse de territorio
saltem dominium denotaret non imperium. Unde Ratisbo-
na non est in dominio Bavariz nec bona quinque statuum
in urbe Ratisbonensi sita in dominio civitatis sunt. *a)*

a) Confer modo dicta §. 11. ubi & aliud exemplum allatum fuit.

§. XV.

Falsitas ar-
gumentati-
onis a Do-
minio re-
rum ad im-
perium.

Quin etsi demus, in territorio esse, æquipollere,
phrasi, esse in dominio, & de territorio esse, significare,
esse sub imperio vel jurisdictione: falsum esset, ea, quæ
sunt in Dominio nostro, esse etiam, aut saltem præsumi,
esse sub nostra Jurisdictione. Dominium est jus in res,
imperium jus in personas. A diversis ad diversa non
valet illatio, ut primi primæ Philosophiæ tyrones norunt.
Unde jamdiu doctores notarunt, territorium posse esse
fine jurisdictione, & jurisdictionem sine territorio. *b)*
De posteriori exemplum jam supra habuimus in Acade-
miis. *c)* Et quamvis non desint, qui statuant, jurisdic-
tionem præsumi territorium habere, tamen iidem faten-
tur, nec hanc præsumtionem esse magni momenti, sed
valere saltem in universali jurisdictione imperatoris. *d)*
Imo etsi valeret ubique, non tamen aliquod momentum
afferret ad rem præsentem, cum aliud longe sit, non præ-
sumi esse sine aliquo Territorio, aliud, non præsumi esse
sine hoc Territorio, (de quo jam sermo est.) Quid quod,
si & de hoc Territorio valeret ubique, vel saltem regulari-
ter, hæc præsumtio, non tamen ea pertineret ad regulam
nostram, sed potius eandem inverteret, Tum enim sic
dicendum foret; quicquid est de territorio, præsumitur
etiam esse in territorio: At brocardicum de quo agimus,
vult

vult ea, quæ sunt in territorio, esse etiam de territorio.

b) Klockius d. Vol. 1. consil. X. n. 58.

c) Supra §. 5.

d) Klockius n. 59. 60. 62.

§. XVI.

Volumus adhuc insigniter & quasi dissolute liberales Porto regulæ esse. Id est, concedamus: regulam quocunque modo e- la illa etiam intellectam, quod ea, quæ sunt in territorio, præsumantur vera esset, etiam esse de territorio, veram esse, quam hæctenus falsitatis non tamen convicimus: sed nec hoc tamen sufficere ad determinan- exinde dif- dam differentiam bonorum mediatorum & immediato- ferentia in- rum. Præsumtio tollitur præsumptione, & exceptio tollit ter bona im- regulam. Quod si igitur, ubi litigatur de bonis mediatis mediata & an immediatis, aliquis, qui bona assereret mediata, mediata & nihil aliud quam illam regulam (singamus per impossi- gnosci pos- bile etiam verissimam) proferret, nihil obtineret, sive de set, dominio eorum bonorum controversia esset, sive de impe- rio, si alter qui, immediata assereret, elideret præsumptionem per alias præsumptiones fortiores in contrarium, aut si fa- teretur, regulam hanc quidem in se esse bonam, sed non locum habere in bonis quæstionis, imprimis ecclesiasti- cis, verum hæc ad exceptionem ab illa regula pertinere. At vero utramque responsonem hic locum habere, pate- bit ex sequentibus.

§. XVII.

Singamus controversiam esse inter duos Principes de Quia præ- territorio quodam sive ecclesiastico sive seculari, quorum sumtio illa unus id mediatum esse, & ad suum dominium vel ad su- elideretur, am superioritatem pertinere diceret; alter vero id imme- fortiore, diatum esse assereret. Quæritur quis in possessione sit, præsumtio- vel ipsius loci, si de dominio lis esset, vel superioritatis ne, partim in illo loco, si de superioritate. Si is, qui id mediatum pro posses- esse vult, profecto male rebus suis consulere, si ad hoc fore, brocardicum vulgare vellet confugere, cum jam præsum- tione

tionem possessionis tutus sit. Quod si ipse non sit in possessione, sed alter, qui bonum ecclesiasticum vel seculare vult immediate esse, haud dubie praesumptio pro possessore longior erit, quam praesumptio canonis; quicquid est in territorio, est etiam de territorio. Unde possidentes beati dicuntur, qualis beatitudo nunquam brocardico isti cohaeret. e)

e) *Conf. Klock. d. l. n. 61.*

§. XIIX.

Partim pro
Libertate.

Ut taceamus praesumptionem pro libertate. Si enim quaelibet bona praesumuntur secundum statum suum naturalem libera, donec probetur contrarium, sane praesumptio illius brocardico iterum vincetur a praesumptione pro libertate, ut jam observavit Vietor. f) Nec opus est, ut hoc loco confugiamus ad textus juris canonici ff) aut civilis, cum praesumptio pro libertate desumpta sit a natura rei.

f) *de exempt. concl. 27. n. 5.*

ff) *cap. jus gentium dist. 1.*

§. XIX.

Responso
Reinkingii
ad ratio-
nem de
praesumptio-
ne fortiore
pro liberta-
te.

Et frustra adeo dubium hoc tollere laborat Reinkingius, negando, praesumptionem pro libertate esse fortio-rem praesumptione illius brocardico: Quæris rationes? Ecce, duas suppeditat, initio quia fortior sit praesumptio, quæ magis in jure fundatur, illam vero praesumptionem, res in territorio etiam esse de territorio, in plurimis juris tam civilis quam canonici textibus fundatam esse; deinde, licet praesumptio libertatis deprompta sit ex jure naturali, notum tamen esse, quod jus civile non per omnia serviat juri naturali, & quod jus naturale dicat in genere & in thesi, id jus civile accommodare ad species & hypothesein. Sicuti autem in toto jure generaliori dispositioni per specialia derogetur, ita etiam praesumptionem & conjecturam potentio-rem credi, quæ sit specialior, & praesumptionem generalem cedere his, quæ specificè in opposito adducuntur, item praesumptionem specialem esse potentio-rem generali.

rali. Sicuti enim clavus clavum trudit, ita præsumptionem fortiorem excludere infirmiore. Quam in rem in singulis lineis adducuntur à Reinkingio autoritates interpretum juris & Doctorum Pragmaticorum. g)

g) Reinking. d. l. n. 56. seq.

§. XX.

Sed uti his temporibus in quæstionibus juris publici non curamus autoritates Jctorum, sed quærimus rationes in se ipsis pondus habentes, ita rationes Reinkingii, si eas paulo penitus intuearis, vel plane impertinentes sunt, vel certe exigui momenti. Nam initio, dum præsumptionem pro libertate dicit esse juris naturalis generalem, illam vero alteram brocardici communis, juris civilis & specialem, multipliciter fallitur. Nam præsumptio pro libertate non est juris naturalis proprie dicti & præceptivi, sed talis, quæ ex natura rerum desumpta est, & quod jura omnia in rem alienam ex facto oriuntur, facta vero non præsumantur, nisi probentur. Tales vero præsumptiones tantæ efficacix sunt, ut à jure civili non possint tolli nec mutari. Nam quemadmodum jus civile non potest mutare jus naturale præceptivum, ita nec potest mutare naturas rerum, neque per meram legem civilem potest introduci, ut facta præsumantur, nec indigeant probatione.

§. XXI.

Deinde quæ de fortiore præsumptione speciali præ generali adducuntur, variis adnotationibus indigent. Si enim per genus & speciem intelligit id, quod logici his terminis innuere solent, falsum est, quod genus & species sibi invicem opponantur: Sunt enim subordinata, ita ut species includatur sub genere, & genus de specie prædicetur affirmative, ut vel pueris notum est. Unde præsumptio generalis nunquam potest oppositam habere præsumptionem specialem. At vero inter istas duas præsumptiones, quarum una præsumit pro libertate contra imperium

rium non obstante situ rei, altera pro imperio ex rei situ contra libertatem, revera est opposito. Ergo neutra harum præsumtionum generalis, neutra specialis dici potest.

§. XXII.

Falso afferitur, præsumtionem communis brocardici esse exceptionem à præsumptione regulæ pro libertate.

Sed videtur Reinkingius, nisi me omnia fallant, per præsumtionem generalem intelligere regulam, & per præsumtionem specialem exceptionem à regula. Hic quidem verum est, quod regula & exceptio contineant prædicta opposita, adeoque certo respectu, & quatenus exceptio tollit regulam in casu excepto, etiam verum est, quod exceptio sit fortior quam regula. Sed hoc parum proderit Reinkingio, quia rursus falsum est, præsumtionem pro libertate esse regulam, cujus exceptio contineatur in brocardico, quod desumptum est à situ rei. Nam exceptio à regula debet adducere casus sub regula comprehensos. Quod ad rem præsentem non potest applicari. Commune brocardicum vult, imperium in bona præsumendum esse ex eorum situ. Sed præsumtio pro libertate contradicit toti illi brocardico, & vult, quamlibet rem præsummi liberam ab alterius imperio, non obstante situ rei. Ergo habes duas regulas sibi oppositas, quarum neutra alterius exceptio dici potest.

§. XXIII.

Falsum est præsumtionem brocardici ideo fortio- rem esse, quod fundetur in textibus juris civilis aut canonici.

Denique cum Reinkingius asserit, præsumtionem fortio- rem esse, quæ magis in jure fundetur, at præsumtionem brocardici fundari in plurimis juris tam civilis quam canonici textibus, & hic non uno modo fallitur. Nam primo in quæstionibus juris publici non curamus textus juris civilis & canonici, cum hæc jura recepta sint saltem aliquo modo in Germania, & saltem in subsidium in quæstionibus juris privati. Ergo, etiamsi verum esset, præsumtionem pro libertate nequaquam niti textibus juris civilis aut canonici, contra præsumtionem brocardici communis, quod ea, quæ sunt in territorio sita, præsumantur etiam esse de territorio, literis majusculis vel plane aureis

* (21.) *

aureis contineri in utroque jure, nobis tamen & auctoribus aliis, contra quos ibi Reinkingius disputat, id nequam noceret.

§. XXIV.

Sed præterea etiam utrumque horum assertorum, falsum est, falsum est. Nam vel dupondii ex institutionibus sciunt, præsumtionem pro libertate bonorum quam maxime receptam esse à jure civili, cum in ea se fundet tota actio negatoria, quanta quanta est, b) ut adeo non opus sit, eam non de re anxie auctoritates doctorum & legum conquerere, fundari tunc nec ipse Reinkingius negare potuerit, præsumtionem pro libertate fundatam esse in jure civili, sed saltem civilis. videatur ludere voluisse pluralitate textuum, quasi videlicet suum brocardicum fundetur in pluribus textibus juris utriusque, quam præsumtio pro libertate, quod tamen & ipsum falsissimum est, & si verum etiam esset, nihil evinceret, cum ingenuus Jctus non numeret leges, sed contenta earum ponderet.

b) l. 9. C. de Servit. & aqua. Dd. ad §. 2. Inst. de act. & ad tit. ff. Si Servit. vind.

§. XXV.

Quare, age, videamus, quamnam sint illæ leges, per quas brocardicum vulgare corroborare intendit Reinkingius. Quod si enim ex abundanti ostenderimus, nihil minus contineri in illis textibus, quam quod Reinkingius intendit, etsi nihil inde accedat veritati sententiæ nostræ, ad id tamen forte discursus iste proderit, ut saltem rubor excutiat istis doctoribus, quamvis invitis, qui tradita veterum glossatorum falsissima adhuc hodie pro oraculis venditant. Sed videamus ipsos textus, non glossas Dd. sensum sæpissime alienum textibus affingentium.

§. XXVI.

Ex jure civili in aciem producitur à Reinkingio i) Ulpianus, qui in libro singulari de officio præfecti urbi

Falsum est, brocardicum vulgare probari posse ex textibus utriusque juris. Neq; enim probatur ex l. 1. §. 4. de

Offic. Præf. sic scribit. *k*) *Initio ejusdem Epistole (Severi ad Fabium Celeronem) ita scriptum est. Cum urbem nostram fidei tuæ commiserimus. Quicquid igitur intra urbem admittitur, ad præfectum urbi videtur pertinere. Vides, hoc loco non agi de bonis in urbe sitis ad imperium præfecti urbi pertinentibus, sed de criminibus intra urbem admisis. l)* Porro non agitur hic in genere de quibusvis territoriorum dominis, sed in specie de præfecto urbi, qui non erat dominus urbis Romæ. Nec JCtus aliquid concludit aut infert ex mero situ rei, sed ex voluntate speciali Imperatoris per epistolam declarata. Si enim ex mero situ rei istam observationem deduxisset Ulpianus, non adjecisset verba statim sequentia: *Sed etsi quid intra centesimum milliarium (extra urbem) admissum sit, ad præfectum urbi pertinet.* Ergo doctores formarunt quidem commune brocardicum ex hoc textu, sed invito Ulpiano. Id quod jam observavit Feltmannus. *m)*

i) d. l. n. 24.

k) l. i. §. 4. ff. de off. præf. urb.

l) juncto princ. cod.

m) in comment. ad l. i. §. 4. n. 3.

§. XXVII.

Neque ex l. 239. §. 8. de V. S. Reinkingius, est definitio vel potius descriptio territorii, quam Pomponius tradidit *n)* jam superius *o)* descripta. Verum cuique & hic verba Pomponii legenti statim apparebit, JCto neque per somnium quidem in mentem venisse, ut brocardicum, quod ea, quæ sunt in territorio, sint etiam de territorio, ibi docere voluerit. Credo etiam ipsum Reinkingium ista sensisse, quare allegando hanc legem simul ad Dd. provocat, innuens videlicet, commentatores aut glossatores ex ista lege etiam brocardicum illud, hæctenus multæ absurditatis convictum, pro more suo deduxisse, quamvis eam deductionem apud paululum sagaciores commentatores ad titulum de V. S. ut puta, Alciatum,

ciatum, Fornerium, Brechaum & Wissenbachium, non observaverim.

n) l. 239. §. 8. de V. S.

o) supra §. 3.

§. XXIX.

Porro Imperatores Leo & Anthemius, (ad quem textum tertio provocat Reinkingius) de officio episcoporum circa ultimas voluntates, inprimis respectu relictorum ad suas causas, disponentes, inter alia constituerunt. *q) Quod si*

in vico vel territorio testator mortem obierit, illius civitatis vir reverendissimus, episcopus exactionem habebit, sub qua vicus vel territorium esse dignoscitur. Sed præterquam, quod in hoc textu vicus & territorium sibi invicem opponantur, & quod hic non agatur de jure territoriali episcopis competente in vicum vel territorium, sed saltem de exactione voluntatum ultimarum in illo vico vel territorio; vellem argumentum audire, quo mediante ex verbis textus hujus regula extrui possit, id omne esse de territorio, quod situm sit in territorio, cum de situ in territorio ne vocabulum quidem extet in dicto textu, sed sensus simplex sit, episcopum civitatis habere exactionem ultimarum voluntatum omnium, quarum testator mortuus sit in loco ad jurisdictionem illius civitatis pertinente.

q) l. 28. §. 4. C. de Episc. & Cler.

§. XXIX.

Sed forte ex jure canonico melius sententiam suam probavit Reinkingius. Ita videtur, si consideres verba canonis ab eo allegati ex concilio Aurelianensi. *Omnes basilicae, quæ per diversa loca instructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, ut in ejus episcopi potestate consistant, in ejus territorio posita sunt.* Hic sane satis perspicue ex basilicæ dicuntur esse in potestate episcopi, quæ in ejus territorio sitæ sunt. Cum igitur de territorio vel sub territorio esse in communi brocardico denotet esse sub domini territorialis potestate & imperio, certè sua sponte

Neque ex
can. 10. c. 16.
qu. 7.

sponte ex isto canone argumentatio videtur profuere, ea quæ sunt sita in territorio, esse etiam de territorio. Sed salva res est. Si enim nihil aliud nobis restaret, quod exciperemus, dici posset, hic in specie agi de potestate episcopi, non de potestate & imperio omnium principum, adeoque ex dispositione particulari de potestate episcoporum non posse formari regulam universalem de potestate omnium principum: minime vero omnium posse talem regulam allegari adversus episcopos de bonis mediatis immediatis litigantes cum principibus secularibus. Sed non opus est, ut ad hanc responsionem confugiamus, quia alia suppetit magis evidens & palpabilis. Qui brocardico vulgari utuntur, loquuntur de jure territoriali principum. At per territorium episcoporum in allegato canone nequaquam intelligitur superioritas aliqua territorialis. Desumptus enim est iste canon ex concilio Aurelianensi primo, quod sub Hormisdâ Papâ currente seculo sexto habitum fuit. At illo tempore episcopi haud dubie jura territorialia non habebant. Igitur necesse est, ut si quis ex illo canone deducere velit brocardicum vulgare, is à baculo argumentaretur ad angulum.

7] *cap. 10. c. 16. qu. 7.*

§. XXX.

Unde rur- Et hi quatuor textus hæcenus memorati, tres ex jus-
sus inferitur re civili, & unus ex jure canonico sunt illi plures textus,
brocardi- quorum scilicet fiducia putavit Reinkingius probasse asserti-
cum vulga- onem suam, quod videlicet fortior præsumtio sit pro vul-
re esse nul- gari brocardico, quam pro libertate. Postquam igitur o-
lius valoris. stendimus, nullum ex istis quatuor textibus probare, quod
probare debebat, potius jam invertimus propositionem à
Reinkingio defensam, secure adstruentes, præsumtionem
illam brocardici non solum esse imbecilliores præsumtio-
ne pro libertate, sed plane nullam.

§. XXXI.

Porro et si Ut tamen defensores communis brocardici sentiant,
verum fo- nos

nos haud ex partialitate quadam & præconcepta opinio-
ne illud impugnare, ac ejus usum in discernendis bonis ne brocar-
mediatis & immediatis negare, age concedamus etiam dicum, pa-
illud brocardicum in regula verum esse, quid vero illud teretur ta-
proderit ejus amafis, ubi sermo est in specie de bonis ec-
clesiasticis, si ille canon in omnibus his bonis exceptio-
nem patitur. At vero hoc fatentur ipsi canonis hujus a-
mafii. Speidelius certe, postquam multa cum Reinkin-
gio & aliis de usu brocardici vulgaris, quod scilicet libe-
ret ab onere probandi &c. differuisset, subjungit tamen
disertis verbis r) *Sed à modo dictâ regula, (quod omnia ea, que*

*in alicujus territorio sita sunt, ad territorium pertinere, ac proinde
superioritas fundata consecatur) excipiuntur monasteria, templa, &
basilica, que non principum ac dominorum politicorum, sed episco-
porum potestati & jurisdictioni regulariter sunt subjecla: pariter &
excipiuntur domus ac prædia ordinum militarium Teutonicorum &
Melitensium; uti etiam ædes ac prædia canonicorum liberorum im-
mediate imperio & cesari in civilibus subjeclorum.*

r) Speidel. *Specul. var. observ. voce Lands- und Fürstl. Obrigs-
keit.*

§. XXXII.

Neque solum hæc exceptio fundatur in autoritati-
bus doctorum, sed & in ipso jure canonico, & fortius qui-
datam in- dem, quam ipsa regula; utpote quam superius ex jure jure cano-
nico haud probari posse ostendimus. Pertinent huc
tituli ex decretalibus pontificum epistolis de immunitate
Ecclesiarum, cœmeteriorum & aliorum locorum religio-
forum. Rem in summam contrahit Lancellottus. s) *Rea-
lis immunitas est, per quam res ecclesiastica à censu vel collectis po-
restatum secularium libere redduntur; siquidem tam profanis legibus
quam sacris canonibus sub excommunicationis & interdicti pœna con-
stitutum est, ne quis eorum, qui jurisdictionem temporalem obtinent,
possit tributa, collectas, seu quascunque exactiones sub quovis titulo
vel colore imponere ecclesiis vel personis ecclesiasticis, pro domibus, præ-
diis vel quibuscunque possessionibus legitime acquisitis, etiamsi ipse ec-
clesia*

estis vel persona vel res sint INTRA ILLORUM TERRITORIUM constituta. Et doctissimus Lancelotti interpres recte notat, r) autorem hoc velle, bona ecclesiastica aut etiam privata esse quidem in territorio, non tamen esse de territorio, h. e. non subiacere jurisdictioni civili. Scilicet ex doctrina canonistarum bona data aut relicta ecclesie in manum mortuam seu ecclesiasticam jurisdictionem ita transeunt aut transire debent, ut à superioritate profus eximantur. u)

s) *Instit. Jur. Can. l. 2. r. 20. §. 14.*

r) B. Zieglerus *ad d. l. Lancelotti p. 548.*

u) Antonius Perez *ad t. C. de S. S. Eccles. n. 11. Adde Petri Peckii tract. de amortizatione bonorum.*

§. XXXIII.

Cui non obstant ea, quæ contra differit Zieglerus.

Et quamvis hæc res displiceat Zieglerus, eamque doctrinam falsitatis arguat cum JCtis quibusdam Gallis aut Protestantibus, non tamen confundenda sunt quæstiones diversæ. Principiis juris canonici haud dubie conveniens est doctrina, quod bona ecclesiastica non sint de territorio principum secularium, etsi sint in territorio, nec hoc negat Zieglerus. Alia vero quæstio est, an illa doctrina conveniat genuinis principiis politicis, item an juris canonici dispositio illa sit conveniens juri Justiniano, an sit recepta in Gallia, aut apud Protestantes, quas recte negat Zieglerus. Lis illa de bonis ecclesiasticis mediatis ac immediatis in Germania ventilata fuit eo tempore, ubi reformatio incipiebat. At vero notum est, germanicarum ecclesiarum libertatem minorem fuisse illis temporibus, quam libertatem ecclesiarum gallicarum. Unde nec mirandum, quod adhuc hodie in germania principia juris canonici magis obtineant ac usu recepta sint, quam in gallia. Ut taceam, Zieglerum ibi loqui de subjectione bonorum ecclesiasticorum imperio totius regni aut imperii, non vero agere de relatione bonorum ecclesiasticorum ad superioritatem singulorum statuum.

§. XXXIV.

Ergo pro nostra doctrina stabilienda sufficiet, quod Dioecesis e-
 etiam secundum doctrinam Jctorum germanicorum ju- piscopo-
 risdictio ecclesiastica plane separata & exenta fit secun- rum intuitu
 dum principia juris canonici à jure territoriali, ita ut ab bonorum,
 ea domini territoriales penitus exclusi sint, w) in tantum ecclesiasti-
 ut hujus jurisdictionis ecclesiasticæ & bonorum ecclesia- corum et-
 sticorum intuitu episcopi dicantur habere peculiare ac pro- iam territo-
 prium territorium. Nam tota diœcesis est territorium e- rium voca-
 piscopi in spiritualibus. x) Hinc & à Jctis Protestantibus tur.
 doceri solet, episcopum non esse simplicem administrato-
 rem in sua diœcesi, sed dominum, unde & episcopos ap-
 pellari dominos iisque competere in suâ diœcesi jus ter-
 ritorii, h. e. non solum imperium & jurisdictionem, sed
 etiam superioritatem & jura regalia, quæ territoriis ut ac-
 cidentia inseparabilia insunt. Adeoque volunt duplicem
 esse diœcesin, aliam generalem in terris ecclesiæ, aliam,
 specialem in terris imperii seu dominorum temporalium:
 in terris ecclesiæ, seu feudis regalibus ecclesiasticis episco-
 pos exercere jurisdictionem utramque, tam secularem,
 quam spiritualem sive ecclesiasticam, secularem jure
 territorii ratione bonorum mensalium, fundorum, prædi-
 orum, civitatum & feudorum militarium, & ecclesiasti-
 cam in his, quæ concernunt curam animæ & clericos. In
 terris autem Imperii seu dominorum temporalium rem al-
 liter se habere. Territorium namque alicujus Domini se-
 cularis suis finibus determinatis claudi, nec non regioni-
 bus distingui, at diœcesin episcopalem non claudi finibus
 territorii unius, sed etiam extendi in aliorum territoria,
 ita ut duo vel plura territoria secularia contineantur ab
 una diœcesi, ita ut diœceseos alicujus principium in uni-
 us domini territorio terminetur, quod ideo constitu-
 tum, ut episcopi jurisdictione sua reprimerent dominos
 seculares, ne aliquid contra religionem molirentur, aut
 hostilia in vicinos moverent. Itaque jurisdictionem ec-

elestasticam non territorio, sed diœcesibus distingui &c.

w] *vide quos citat Speidelius d. l. p. 750.*

x] *c. omnes basilica c. 16. qu. 7. Vid. supra §. 29.*

y] *Vide pluribus Matth. Stephani de Jurisd. l. 3. P. 1. c. 14. n. 8. sequ. p. 116. sequ. Conf. Besoldi thesaurum practicum voce Bischoff.*

§. XXXV.

Quamvis id
fiat per ca-
sachresin.

Quamvis autem facile indulgeamus, diœcesin cata-
chresticè appellari territorium, & accuratius adeo distin-
gui diœcesin & jus territoriale etiam in ipsis episcopis,
quod jam distinctius ab aliis 2) fuit expositum, sufficit tamen,
quod etiam ex doctrina paragraphi præcedentis illustretur observatio modo memorata, quod bona ecclesiastica, ut basilicæ, templa &c. non sint de territorio secularium principum, etiamsi sint sita in ipsorum territorio, unde multo magis bona mensalia, civitates & feuda militaria episcoporum, in quibus episcopi jus territoriale exercent, pertinebunt ad episcoporum territoria, etiamsi sint sita in territoriis aliorum principum vicinorum. Nam una eademque res duorum dominorum territoriali potestati non potest esse subiecta, adeoque non erit de territorio duorum dominorum.

2) *Vid. Ziegler. ad Lancelott. p. 218. Conf. Matth. Stephani d. l. n. 25. p. 119. Strauchium Inst. Jur. publ. l. 2. tit. 9. & supra §. 29.*

§. XXXVI.

Ostenditur
brocardi-
cum vulga-
re non ju-
vari per di-
stinctionem
inter terri-
torium
clausum &
non clau-
sum.

Monstravimus hæcenus abunde & prope ad nause-
am, planè nullius esse momenti brocardicum vulgare, quod
illa, quæ sunt in territorio præsumantur etiam esse de ter-
ritorio, adeoque ad secernenda bona immediata à media-
tis non esse aptam. Nec tamen mirandum, quod adhuc
hodiè non desint, qui veteres illas regulas sic amare so-
leant, ut omnia potius tentent, quo quisquillas illas ex-
ornent, & distinctiones, nescio quas subtiles, ut putant,
clausum & revera autem distinctiunculas brocardico defenso adhuc
ineptiores excogitent, ut saltem aliquid dixisse videantur.
Vide-

Videlicet distinguunt inter territoria clausa & non clausa. In clausis dicunt valere regulam, ut ea, quæ sita sunt in territorio, sint etiam de territorio. At in non clausis procedere exceptionem, quod scilicet possit aliquis esse in territorio, qui non sit de territorio. Afferunt etiam exempla. Territoria clausa esse archiducatum Austriæ, quatuor Electoratus seculares, ducatum Brunsvicensem & Lunenburgensem, Landgraviatum Hassiæ &c. Territorii non clausi exemplum esse territorium Stormariæ, in quo situm sit quidem Hamburgum, nec tamen sit de territorio. a) Sed quicumque ejus distinctionis autor sit, valde verosimile videtur, eam esse purum putum inventum hominis Sophistæ, intendentis eos, qui brocardicum vulgare oppugnarunt, insensibiliter & per circulum seducere, à proposito. Nam vide modo, quomodo res evadat in circulum. Primo docuit vulgus Jurorum, regulam esse, quicquid est in territorio, præsumi etiam esse de territorio. Ostensa falsitate hujus regulæ, cum aqua hæreret actionibus defensoribus brocardici hujus, exceperunt, valere saltem regulam in territoriis clausis, etsi non valeat in non clausis. Si quaras, quid vobis sunt territoria clausa, quid non clausa? responderent; illa territoria clausa sunt, in quibus locum habet regula, illa non clausa, in quibus locum non habet.

a) Video à quibusdam ad hanc distinctionem citari Schraderum, Magerum, Schutzium. Sed apud illos autores quidem in locis citatis altum de distinctione ista territorii est silentium, unde necesse est, alium ejusdem esse autorem.

§. XXXVII.

Quod si retrospectas ad ea, quæ paulo ante b) docuimus, n. va conjectura nobis suppeditatur de origine hujus distinctionis, eam videlicet ortam esse ex non recte vel intellectu vel applicatâ mente doctorum, qui territoria ecclesiastica cum secularibus, vel potius dioceses Episcoporum cum territoriis secularium compararunt, illas versus applicatio.

territoria non clausa, hæc clausa appellando. Juvat conjecturam hanc, quod modo *c)* inter exempla territoriorum clausorum afferantur saltem territoria secularia, nullus episcopatus, & ne quidem territoria electorum ecclesiasticorum &c. Sed præterquam, quod simul superius ostenderit, diœcesin appellari territorium catachrestice & prope abusive, plane diversa est significatio territorii clausi & non clausi, quatenus ad comparationem diœcesium ecclesiasticarum cum territoriis secularibus adhibetur, ab alterâ, quam excogitarunt ad salvandum brocardicum vulgare. Ibi enim territorium clausum appellabatur, quod propriis finibus contentum esset, nec jurisdictionem aut potestatem suam exerceret in res, quæ sine contradictione in vel sub alterius territorio essent, non clausum, quod potestatem vel jurisdictionem exerceret etiam in res vel possessores rerum alieni territorii. At vèro in posteriore significato territorium clausum esse debet, in quibus omnia, de quorum etiam possessione & jure controvertitur, censentur esse sub finibus vel partibus territorii, non clausa, in quibus ea, quæ etiam à territorio circumdantur, aut, quæ indubiè in territorio sita sunt, non censentur esse de territorio. Ex quibus constat, quam parum apte distinctio illa, aliquo modo tolerabilis, si in primo significato sumatur, fuerit applicata ad doctrinam præsentem, & ad salvandum istud brocardicum vulgare, contra quod hæctenus disputavimus.

b) supra §. 34. circa finem.

c) modo in §. præcedente.

§. XXXIIX.

Aliorum opinionones & dam illustres aliorum meditationes de hac distinctione, judicia de quas uti cum debita gratiarum actione accepi, ita easdem illâ distinctione, ni Pseudonymus quidam distinctionem illam fictam & memorum inventum fautoris Nobilitatis immediatæ esse ait, jusdam.

cate-

* (31) *

cæterum neque fundatam in sanâ ratione, neque in con- Pseudony-
stitutionibus imperii. d) Hic autoris locus nostræ inten- mi.
tioni maximè inservit, cum non solum improbet distin-
ctionem illam, sed & suppeditet conjecturam de origine
ejusdem in favorem nobilitatis immediatæ. Cæterum ta-
men hoc indicium curioso lectori satisfacere haud pote-
rit, cum nimis generale sit, & occasionem, quomodo in
favorem nobilitatis immediatæ id inventum fuerit, haud
declaret. Ergo opera danda ut ex aliis paululum distin-
ctior conceptus de hâc assertione formari possit.

d) Germanus Philoparchus in ersten Theil des klugen Beam-
ten tit. 13. §. 31. n. 9. p. 219. Die distinction unter ein ge-
schlossen und ungeschlossen territorium ist weder in denen
Reichs Constitutionibus, noch in sanâ ratione fundiret, son-
dern ein bloßes inventum eines Favoriten von dem um-
mittelbaren Reichs-Adel / der == seine Güter vor exemt
wissen will / denn wo die exemption eines oder des andern /
simpliciter vel secundum quid immediati, so gleich ein un-
geschlossenes territorium macht / wird kaum ein Stand
in heiligen Römischen Reich zu finden sein / der nach die-
sen Lehrsatz nicht auch ein ungeschlossen territorium haben
müßte.

§. XXXIX.

Inter exercitationes varias juris publici, quas con-
junctim edidit Ahasverus Fritschius in parte secunda ex-
tat Wilhelmi Leiseri e) disputatio de Landfasciis, itemque
Schriftfasciis & Ambfasciis, ex qua juvabit ad scopum,
præsentem sequentia excerptere. Postquam notaverat: f)
Landfasciatum ex territorio oriri, contra exemptioni à
Landfasciatu locum in territorio exemptum fundamen-
tum præbere, ac inde ortam esse distinctionem locorum,
quod locus alius sit in territorio, alius de territorio: &
quoties adeo locus in territorio existens à territoriali do-
mini potestate exemptus sit, locum illum per se territori-
um facere à provincia separatum; tum subjungit; g) quod
huc

Wilhelmi
Leiseri.

huc cum primis pertineat distinctio territoriorum, quod alia sint, in quibus vigeat Landsasfiatus, alia in quibus non *b*); illa etiam clausa sive conclusa territoria appellari, hæc non conclusa. *i*) Hanc vero distinctionem solius Equestris ordinis immediati, der freyen Reichs von Adel gratia receptum videri, ac horum castra in territoriis principum sita, neque tamen à principibus istis, sed ab ipso Imperatore dictis Nobilibus in feudum concessa, quodammodo territoria à provincia separata constituere. Atque tales provincias, in quibus sint territoria non conclusa Sveviam, Franconiam, Rhenanam, Wetteraviam vulgo recenseri *k*) quibus forte non male addendam putavit noster Alsatiam, atque illos etiam Nobiles liberos & immediatos esse, ex privilegijs Alsatice nobilitati ab Imperatore Matthia & Ferdinando II. concessis *l*) constare. Porro *m*) originem distinctionis hujus, sive unde factum sit, quod tantum illarum provinciarum nobiles immediatè imperatori subsint, alibi vero Principes & Dominos territoriorum, ut superiores agnoscant, pluribus indagare. Besoldum, *n*] & ex eo Beckerum, *o*) ipse vero Leiferus ex Ducum Sveviæ (qui Ducatum Sveviæ & Franconiæ & Palatinatus Rheni in titulis suis patrimonialibus enumeraverint) interitu derivat *p*) cui deinceps incrementum dederit vicinorum Principum aut facilitas aut imprudentia, dum feuda propria familiis istis nobilibus concedentes non satis sibi de territorii jure prospexerint. Atque hinc ortum traxisse distinctionem nobilium aliam, quorum quidam vasalli nec Landsasfii, alii vasalli Landsasfii sint & dicantur *q*) quamvis videat hanc distinctionem inter Vasallos & Landsasfios ab alijs aliter explicari, & Landsasfios nobiles eos appellari, qui plane nulla bona feudalia possideant, hacque ratione vasallis nobilibus contra distingui. *r*] Sed distinctioni huic in Saxonice provinciis locum non esse. *s*) Satis enim constare, omnes in eâ Vasallos Landsasfios esse, neque discrimen illud inter

ter vafallos & Landfaffios admitti, quod ex formula Vafallagii in Curiis Saxonice ufitatâ appareat, fecundum quam Vafalli non folum promittant, quod velint treu hold und gewartig / fed etiam, quod velint gehorfam feyn / qua ultima formula fubjectio inferatur. Scilicet, e) quæ Saxonix Principibus pareant, provincias ex illarum numero effe, quarum territoria concluda vocentur, five in quibus Landfaffiatum vigeat, ac tales prætereà enarrari Palatina tum Rkeni, Hasliam, Bavariam, Archiducatum Auftrix, Marchiam, Ducatum Brunsvicenfem, item Pomeraniam, & ex fua fententia omnes, quotquot fuperius n) non jam exceperit. Hactenus excerpta ex Leifero.

e) Profefloris Wittebergenfis, habita Witteberga, anno 1664.

f) d. differt. §. 22.

g) §. 23.

b) ex Magero de *Advoc. arm. c. 6. n. 671. feq.*

i) ubi citat Befold. de *Ord. Equeftri c. 6. n. 6. Mylor. de Statib. imperii cap. 89.*

k) citatur hic Beckerus *Jur. Publ. lib. 3. c. 4. n. 17.*

l) ap. Limn. *Tom. I. addit. ad lib. 6. c. 3. n. 71.*

m) Leiferus *ibid. §. 24.*

n) d. l.

o) d. l. & l. 3. c. 10. n. 3.

p) d. §. 24. & 25.

q) Leiferus §. 26.

r) ubi citatur Mauritius in *differt. de Nobilitate th. 39.*

s) Leiferus §. 27.

t) *ibidem §. 28.*

u) *ibid. §. 23.*

§. XL.

Non ita pridem in difputatione quadam inaugurali Chriftophori Jacobi Pelleri. de libertate five exemptione à iurisdictione principis & domini territorialis ordinarii, ifta doctrina Leiferi latius fuit deducta partim, partim examinata. Et initio quidem afferitur, x) in imperio noftro regiones quasdam coherere, quasdam vero interjectu aliarum ditionum fciffas effe: Inde difvifionem in imperio noftro non ignotam effe, territoriorum in concluda, vulgo gefchloffene / & non concluda, vulgo ungeschloffene oder vermengte Landfchafften; ex quo ulterius profluxerit diftin-

E

Etio

Etio itidem vulgatissima illorum qui habitant in territorio, ut sint vel in territorio tantum, vel simul de territorio. Porro *c)* conclusum dici territorium, in quo unus regionis dominus salvâ Imperatoris & imperii potestate superioritatem territorialem ejusque annexa jura exerceat. Econtrario territorium non conclusum esse in quo personas, loca & prædia libera & exempta à superioritate territoriali regionis domini sint. Quosdam vero aliter, hanc distinctionem efferre, ut nimirum alia sint territoria in quibus vigeat Landsasfiatus, alia in quibus Landsasfiatus non obtineat, atque sic docere Leiserum. *a)* Quod vero Leiserus solius Equestris ordinis immediati gratia receptam videri dicat hanc distinctionem, admitendum non esse. *b)* Etsi enim verum sit, quod territoria non conclusa dicantur de regionibus, ubi nobiles immediati dantur, inde tamen non sequi, quod hæc distinctio pertineat ad Nobiles tantum, posse enim & Comitem aut civitatem imperialem alterius domini territorio quasi circino quodam includi & tamen exemptam esse, & ergo constare, distinctionem hanc longe latius, quam ad nobilitatem imperii se extendere. Ulterius originem hujus distinctionis *c)* deducere conatur: & quidem quoad nobiles excerptendo prolixum locum ex Befoldo de ordine equestri, *d)* quomodo videlicet nobiles ex mediatis facti fuerint immediati; tum subjungit nonnulla quomodo comites à ducum & civitates ab imperio ducum & comitum fuerint exemptæ. Inde ad quæstionem transit *e)* quid in dubio præsumatur. Vietorem *f)* & Bruningium *g)* putare, pro territoriis non conclusis præsumendum esse quoniam res omnis præsumatur libera &c. Alios contrarium æstimare, quia præsumtio universalis sit pro territorio ejusque universali vi in partes omnes se extendente. Sibi vero hæc in re difficile videri aliquid generaliter in alterutram partem pronunciare, existimare tamen, comites, quorum aliqui sint principum numero, ut & civitates

tates imperiales præfunktionem habere pro se, quod non sint territorio subiecti, quoniam jam ab antiquissimis temporibus comites fuerint sine ducibus, & civitates liberae, quæ propterea regales appellatae fuerint. At vero ratione nobilium, aut etiam monasteriorum in aliquo territorio existentium, se arbitrari, territorii dominum, quoad ipsos fundatam habere intentionem, certum enim esse, nobiles, ut & monasteria, olim quoque subfuisse ducibus & comitibus. Tum *b)* in definiendis territoriis, quænam clausa sint, quænam non conclusa repetit regulam Leiferi, omnes provincias non exceptas censeri conclusas, si modo secundum paulò ante dicta explicetur. Caterum, pergit, *c)* qui in territoriis clausis habitant, Landsassios appellari, hanc vero vocem usurpari tantum de eminentioribus regionis alicujus subditis, puta nobilibus, aut etiam interdum comitibus. Utrum vero status imperii in alicujus territorio habitantes inter Landsassios possint numerari, valde olim controversum fuisse inter Duces Bavarix & Comites Ortenburgenses, *k)* sibi autem videri distinguendum esse, an tales novè dignitatem sint adepti, an vero jam olim ejus compotes fuerint. *l)* Ex his porro *m)* sequi, in territoriis hujusmodi clausis obtinere regulam: quæcunque intra territorii septa, contineantur, ea in istius domini patrimonio, potestate, & jurisdictione esse præsumi, cujus est districtus & territorium &c. Ab hac tamen regula *n)* à non paucis in principatibus profanis & comitatibus excipi uxores & liberos principis vel comitis, quasi in tales domino regionis nulla competat jurisdictione; à quibus vero ipse dissentiat. *o)* E contrario *p)* in territoriis non conclusis habitantes dici quidem esse in territorio, sed non de territorio, cujus distinctionis mentio jam fiat in Aureâ Bullâ, *q)* Unde sequi *r)* locum aliquem posse in territorio, non vero de territorio principis: & hoc casu paria censeri, esse extrâ territorium, & esse in territorio, sed exemptum.

- w) à Christophoro Jacobo Pellerero anno 1703.
 x) §. 2. in fine. z) ibid. §. 4.
 a) in differt. quam modo excerpimus.
 b) Pellerus §. 5. c) §. 6.
 d) jam sapius citatum. e) §. 7.
 f) de exemptionibus imperii concl. 27.
 g) de universitatibus earumque variis speciebus concl. 36.
 h) §. 8. i) §. 9.
 k) quâ de controversiâ citatur Imhoff in notitiâ procerum lib.
 6. cap. 12. in fine.
 l) arg. Recessi August. de anno 1548. §. 66. Capit. Leop. art. 44. & c.
 m) §. 10. n) §. 11.
 o) cum Dn. Hertio de subjectione territoriali §. 6.
 p) §. 12. q) c. 15. §. 2. r) §. 13.

§. XLII.

Nostra sen- Quodsi jam hætenus excerpta ex tribus istis auto-
 tentia, Fal- ribus prolixius examinare vellem, novæ dissertationi an-
 sum esse, sa daretur, sed cum ad finem properem, lubet saltem, de
 quod distin usu & sensu distinctionis inter territorium clausum & non
 etio inter clausum ac de paucis quibusdam aliis ad nostrum sco-
 territoria pum propius pertinentibus brevissimis quadam admon-
 clausa & re. Scilicet erroneum est, distinctionem illam territorio-
 non clausa rum in clausa & non clausa originem sumfisse à Nobilita-
 originem te immediatâ, sed si accuratius allegatos eum in finem
 debeat no- autores evolvas, id saltim constat, distinctionem inter
 bilitati im- nobiles Landfascios & non Landfascios, item inter Nobi-
 mediatæ. les vasallos non Landfascios & nobiles qui vasalli & Land-
 fascii simul sunt, occasione nobilitatis immediatæ fuisse,
 introductam, cui distinctioni postea Leiferus, sed obiter,
 applicavit distinctionem (undecunque etiam orta fit) ter-
 ritoriorum in clausa & non clausa. Et salsum adeo est
 etiam, quod Besoldus in discursu de nobilitate velit ex-
 ponere originem distinctionis illius inter territoria clausa
 & non clausa: quia nec ejus intentio est, ut exponat origi-
 nem terminorum in distinctione inter nobiles Landfascios
 & non

& non Landfascios, sed illud saltem ostendere voluit, quâ occasione nobilitas immediata in imperio orta fuerit, de quâ quæstione tamen in præsentî non sumus solliciti. Unde manemus adhuc in nostrâ conjecturâ de origine, distinctionis inter territoria clausa & non clausa superius s) indicatâ.

s) supra §. 37.

§. XLII.

Dissensus vero circa definitionem territorii clausi & non clausi, qui deprehenditur inter autores dissertationis Wittebergenfis & Giessensî confirmat aut certe illustrat ea, quæ in præcedentibus ff) notavimus, quod videlicet distinctio illa territoriorum nihil vel certè parum proffit ad explicandum & salvandum brocardicum de præsumptione, quod ea quæ sunt in territorio sint etiam de territorio. Quomodo enim brocardicum hoc per ejusmodi distinctionem salvari posset, de cujus significatione & explicatione adhuc inter se litigant Doctores, & quæ adeo tam ratione significationis, quàm originis tam obscura & incerta est. Adde, quod non dissentibus ipsis autoribus hæctenus adductis res, ut jam supra fuit monitum, redeat in circulum, dum fatentur, in territorio clauso saltem obtinere brocardicum illud, & territorium clausum ita definiunt, ubi obtineat illa regula:

Ex dictis tamen illustrari sententiam nostram, de nullo usu distinctionis illius ad salvandum brocardicum de quo agimus.

ff) §. 36.

§. XLIII.

Quare nec defuerunt etiam ex defensoribus brocardici illius vulgaris, qui facîle subdoraû sunt, ab illa distinctione equidem brocardico illi parum roboris accedere, sed semper sub eâ latere argumentationem in circulum, aut petitionem principii; unde longè convenientius se ratiocinari arbitrati sunt, si assererent, quod principes & status imperii juris præsumptione fundatam habeant intentionem in omnes territorii sui personas ac res, tam in petitorio, quàm in possessorio judicio, ut, quæcunque

Ipsorum defensorum brocardici consensus, de nullo usu hujus distinctionis.

in territorio sint, etiam de territorio esse presumantur & subjecta sint territorii domino, etiam si territorium clausum non sit. *d)* Quam assertionem uti tota nostra dissertatio abunde refutat, ita adversus hos autores insuper, illud urgere possumus, quod sic plane non intelligamus eos, quid intelligant per territorium non clausum, cum eam vocem in obscuro & non exposito, certè in planè alio significato, quam doctores haectenus memorati, illà distinctione utentes, sumere videantur.

e) Myler. ab Ehrenbach *de Principibus & Statibus imperii Part.* 2. c. 89. §. 2. p. 776.

§. XLIV.

Porro ostenditur brocardicum vulgare in genere inutile esse ad fecernenda bona immediata ac mediata & ad decidenda controversias eo vulgare nullo intuitu obvientes; jam paucis monstrandum erit, quod lum præbe- nec usum habeat in specialibus controversiis. Equidem re usum spe si excerpta ex Pelleri consideres, videbitur primà fronte cialem in distinguendum esse, utrum controversia de medietate aut controver- immedietate bonorum respiciat nobiles, aut monasteria, sis de me- an comites aut civitates, aut multò magis Principes sive dietate & seculares sive ecclesiasticos; ita ut in primo casu regula immedieta illa vulgaris usum quidem habeat, non tamen casu se- te cundo. Sed si tamen rem paulo accuratius attendas, apparebit nec in primo casu usum brocardici ullum revera subesse, sed etiam assertionis quoad illum casum rationem planè aliunde esse petendam. Quod ut eo melius intelligatur, paulò distinctius proponemus casus de quibus talis controversia oriri potest.

§. XLV.

Civitatum, Status de quorum mediate aut immediate quari solet, sunt vel seculares vel ecclesiastici. Seculares sunt, vel civitates, vel nobiles, vel comites, vel principes. Ecclesiastici sunt vel abbates in monasteriis vel episcopi. Quod civitates attinet, vel lis est de alicujus civitatis im- medie-

medietate aut medietate inter civitatem & alium statum, utrum civitas illa sit municipalis an imperialis, vel lis est inter duos status, ad quem civitas, quæ municipalis est, pertineat. Primo casu situs civitatis ad definiendam controversiam nihil faciet, partim quia obscurum est, quid sit esse in territorio, partim quia exempla dantur civitatum, haud dubiè imperialium quæ in territorio Principis sitæ sunt, & fortè non deerunt exempla civitatum, municipalium, quas territorium sui principis non circumscribit. Et cum præterea multæ sint civitates, imperiales pariter & municipales, ita ut ex numero utriusque clasfis non possis faciliè formare regulam aut exceptionem, tota controversia planè ex aliis præsumtionibus & probationibus erit definienda, quam ut asserere valeas, in dubio civitatem præsumi esse imperialem, aut municipalem, nisi quod & hic libertatis & possessionis præsumtio magnoperè fuerit attendenda. Eadem dicenda erunt, quoad præsumtionem possessionis in secundo casu, si de civitate haud dubiè municipali inter duos status controversia sit, ubi rursus, nulla vel certè exigui momenti præsumtio ex ejus situ desumi poterit.

§. XLVI.

Circa nobiles similiter duo casus erunt distinguendi, & de secundo casu idem monendum, quod modo de lite intuitu civitatum monuimus. In primo vero casu, & si nobilis prætendat immedietatem adversus comitem vel principem, equidem in dubio videtur esse præsumendum contra nobilem, sed non propter situm, verum propter regulam, secundum quam nobiles præsumuntur Landsassii, nisi probaverint immedietatem tanquam exceptionem à regula.

§. XLVII.

Circa comites eadem omninò repetenda esse arbitror quæ modo de civitatibus notavi, cum hodie multi den-
tur
Comitum
& Principum,

tur Comites mediati pariter & immediati. Principes vero cum ab antiquissimis temporibus regulariter fuerint, immediati, etiam pro hac regula in dubio præsumendum esse putarem; nullo respectu habito ad situm principatus, nisi Dux aut alter princeps cum principe litigans exemptionem probet, aut ex alio fonte præsumtionem fortiorem adversus principem pro se allegare valeat.

§. XLIIIX.

Abbatum,

Pergo ad status Ecclesiasticos. Ubi quidem circa abbates & monasteria videri possent, repetenda esse quæ de nobilibus diximus, imprimis cum in instrumento pacis monasteria disertè accenseantur bonis mediatis. Sed cautè hic procedendum, cum ex Jure Canonico constet, quod omnia bona ecclesiastica dominio & imperio principum secularium sint exempta, ac nunquam, omnium vero minime à laicis possint alienari *a)* Item, quod personæ omnes ecclesiasticæ, etiam minoris existimationis à subjectione magistratus politici exemptæ sint, & solum sub imperio Papæ & prælatorum ecclesiasticorum esse debent. *b)* Ut adeò ex regula & principiis juris canonici nullus status ecclesiasticus possit esse Landsasitus Principum Laicorum, cum Landsasitus sit indicium subjectionis. *c)* Ergo brocardicum vulgare, etsi alias haberet usum, planè non valeret, quotiescunque controversia esset inter Principem secularem & Abbatem Monasterii. Neque obstant ea, quæ ex instrumento pacis Cæsareo-Svevico allata sunt. Etsi enim ibi monasteria referantur inter bona mediata, *d)* tamen paulo ante *e)* etiam in bonorum immediatorum classe referuntur abbatia: Adde quod abbatia & monasteria, dum bonis ecclesiasticis mediatis accenseantur, id non fiat intuitu Principum secularium, sed episcoporum, sub quorum inspectione & jurisdictione regulariter sunt Abbates & monasteria, nisi probent exemptionem. Sed nec horum tamen intuitu ad brocardicum vulgare provocandum erit, si quæstio sit inter Episco-

piscopum & Abbatem de subiectione monasterii, sed potius Episcopus allegabit originem & naturam monasteriorum eorumque primævam subiectionem Episcopali curæ & inspectioni, si vero duo Episcopi inter se litigent, ad quem Monasterium pertineat, per sæpius demonstrata frustra adducetur brocardicum vulgare. Et quid verbis opus est, cum ipsum instrumentum pacis locutiones illas, esse in territorio & de territorio, tanquam obscuras, & ad tales controversias decidendas ineptas, diserte rejiciat in questione de statu & subiectione monasteriorum. f)

- a) *Can. indicatum 5. dist. 89. cap. 1. X. de testam. tot. tit. de reb. Eccles. alienandis vel non.*
- b) *cap. 1. & 2. item 12. & 18. de foro compet.*
- c) *Gail. de arrest. c. 7. n. 14. & lib. 2. obs. 21. n. 15. Hugo de Statu regionum Germanie c. 4. §. 5.*
- d) *instrum. pac. art. 5. §. 25. ab initio.*
- e) *ibid. §. 14. ab init.*
- f) *d. §. 25. verbis; non attentis exceptionibus &c. quod non de vel in territorio &c. fuisse dicantur.*

§. XLIX.

Unde superfluum videri posset, quicquam monere Episcopo-
de Episcopis, tanquam de quibus multo minor posset ^{rum.} subesse dubitandi ratio, quam de Clericis minoris dignitatis & potentix, nisi observassemus, etiam in talibus controversiis allegari illud brocardicum. Sed profecto autores, dum id faciunt, nesciunt, quid agant. Neque enim credimus ullum, etiam illis adhuc temporibus, ubi studia juris publici adhuc latebant & obscurata erant, eam opinionem defendere ausum esse, quod Episcopi ab initio fuerint principum & statuum politicorum Landsasii. Et si quis, etiam illis temporibus, id fecisset, ab omnibus fuisset creditum, quod data opera insanire voluisset, tantum abest, ut quis eò dementia procedat nostro seculo, ubi

ubi studia historica & antiquitatum Germanicarum in luce meridiana posuerunt jura pristina Episcoporum Germaniæ, videlicet, quod ante reformationem ab antiquissimis temporibus Episcopi regulariter votum & sessionem in comitiis habuerint, & quidem ut præcipui ex principibus, & intuitu Germaniæ cum majori eminentia, quam in aliis regnis Christianis; quod de Episcopis jam antiquitus dictum fuerit, quod non solum ut alii principes in suis territoriis tantum possint, quantum imperator in imperio, sed & tantum, quantum Papa in Ecclesia; quod principes seculares ante reformationem, pro honore maximo sibi duxerint, si modo potuerint fieri vasalli Episcoporum; quod etiam exemptiones quorundam Episcoporum ab Imperio præsupponant regulam de eorum jure sessionis & voti in conventibus imperii; denique quod exemptiones quorundam Episcopatum & prætensiones aduersus Episcopos ratione subjectionis, ante reformationis tempora non fuerint usitata &c. Quæ omnia hodie tam nota ac trita sunt, ut non opus sit, eum in finem allegatione autorum tædium lectori parere.

S. L.

Conclusio.

Ergo nihil jam restat, quàm ut finiamus, si modo antea protestati fuerimus, nostram intentionem nequaquam eò tendere, ut ulli controversiæ speciali, siue cum Episcopis siue cum Abbatibus, siue cum Principibus secularibus, siue cum Comitibus, siue cum Nobilibus, siue cum civitatibus de immedietate aut subjectione instituta, nos immisceamus, aut in alterutrius partis favorem aut odium quid definiamus, id enim transcendit fines libertatis, quos doctoribus academicis præscripsit potentissimus Rex Borussiae. Miseram esse causam & omni jure destitutam necesse est, cujus justificatio à brocardico illo vel solo, vel præcipuè dependet, & miserimam esse oportet eru-

* (43) *

eruditionem doctorum, quibus in deducendis juribus principum vel statuum, quibus fidem dederunt, aqua statim hæret, si non ad illud brocardicum tanquam ad sacram anchoram refugere ipsis liceat. Neque deesse poterunt Jcto vel parum erudito argumenta plurima alia, ad deducendam justitiam sententiæ, quam defendit, aptiora & verosimiliora, quàm ut in brocardico illo asylum ignorantia quærat, aut ut doleat, ejus ineptitudinem ita oculariter & palpabiliter à nobis fuisse demonstratam.

F I N I S.



* (10) *

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..



05 H 623

ULB Halle
004 219 457

3



sh





No 268

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
INUTILITATE
BROCARDICI VUL-
GARIS:

Quæ sunt in territorio, præsumuntur
etiam esse de territorio,



quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE PRUSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.
DVCATVS MAGDEB. GUBERNAT. &c.&c,
Ex Decreto Illustris Jctorum Ordinis

PRÆSIDE
DN. CHRISTIANO THOMASIO,
POTENTISSIMI REGIS BORUSSIAE, AC REVEREN-
DISS. ET SERENISS. DUCIS SAXO-NUMBURG. CONSILI-
ARIO INTIMO, PROFESS. JURIS ORDIN. ET FACULT. JURID.
h. t. DECANO,

PRO LICENTIA
Summos in utroque Jure honores & privilegia Doctoralia
ritè capeffendi,
IN AUDITORIO MAJORI
ad diem V. Octobr. M DCCIX. horis ante- & pomeridianis
publico Eruditorum examini submittit
PAULUS JOHANNES MARCI,
Augustanus.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

Halle 1709

